



CLARISSIMO,  
ORNATISSIMOQVE  
VIRO,

DOMINO,  
D. HUGONI FOILLARD  
APVD MATISCONENSES  
PROPRÆTORI  
INTEGERRIMO,

BRICIVS BAUDERONVS  
*Medicinæ Doct̃or & Matiscouensis,*

ΕΤ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.

**N** TERTVRBANTEM te tuis in se-  
riis aut excusa, aut accusa (Vir eru-  
ditionis reconditæ, & magni apud  
omnes nominis) si me non excusas  
*ἀκμρον*, accuses te *φιλάνθρωπον* ve-  
lim: noui equidem maiora Proprætorem & pu-  
blica pertractare; sed paucis te volo, audi me  
extraneum, qui te priuatim intrepidus adeo, &  
impeditum secretioris vestibuli limen rumpo,  
quinimò peccantem, & auocantem eximat tuæ  
clementiæ manus, quia humanus, quia mitis es,  
quia benignus. Audi quid de me loquatur diui-  
na

† 2 na

næ mentis conscia, interpretæque φύσις, illa sanè  
ἡλιοτροπίῳ me fecit simillimum, cui ( licet ad  
oculum, si libet experiri) vim eam impressit,  
qua procul affixum mediis planetarum, ac penè  
cælestium orbium corporibus Solem, credas ex  
sensu plusquam vegetante, ac insito sic digno-  
scere, vt cum Solstitio sese in coronatum, & quasi  
oculatum erigat florem, qui certos Phœbi motus  
non solùm indicet, assiduóque sequatur intuitu,  
verùm & expetiti syderis accessu diffundatur læ-  
titiâ, recessûque, quasi mœrore tabescens contra-  
hatur. Haud aliter humilis ego mox terræ natus,  
veluti cochlea caput extuli, quod prius ad lares  
desidebat otiosum: in hoc conatu multæ mihi  
circumcirca polorum cardines, ac meridiani ca-  
meras ortæ sunt stellæ, eæque micantes & fulgi-  
dæ: vnicus tantum apparuit Sol, qui quasuis lam-  
pade crocea lustrabat terras, proprioque splendo-  
re irradians lumen aliis cœlorum carbunculis of-  
fundebat, cuius elegantiam passus, suaque pelle-  
ctus pulchritudine, rapi ad se, & abripi honos  
fuit, tandiuque circumagat beatus, quandiu dex-  
ter orientis oculus recreabit, nec ante desinam  
quàm occidat. Tu ipsius ille es, quem loquor (Pi-  
tho doctiloqua) & cuius fama tam illustris, virtus  
tam eminens, vt iure audenti mihi liceat gloriari,  
si tuum ambiendo fauorem, aliquando cõsequar.  
Primus in primitiis meis occurristi, & clausum  
adhuc tenuitatis meæ flosculum, tali occurso re-  
creasti, aperuisti, ditasti Phœbo longè fœlicius; ille  
siquidem solstitio tantùm florem expandit; tu in  
æquinoctio eoque verno florere iubes, nec an-  
te

te



te alterutrus vitæ solstitium iussus desinet. Me ergo ante *ἡμετέρας*, & ad benefidam stationem alligato rudente, solutaque anchorâ, ad tempus facito subsistere, tanquam si naufragum-elisis tabulis portus excepisset, esto mihi importuno tutor opportunus, & pro tua beneuolentia, quod mihi labor dedit hæredium, tutare; non enim ex hortis Epicuri pêsilibus, aut Hesperidum cultura, aut Heliogabali superfluo luxu depromptum est; sed ex odoratis Podalirij, & Asclepiadum areolis: illud offero, non vt beneficiis me soluam tuis, aut aliquo te constringam (Vir clarissime) sed vt antiqua cumules, amando voluntatem, mihi que sit satis nosse quid contuleris, atque vti tam bene nossem quid oporteat referre. Quia verò non indiget hortatore proliuis ad beneuolentiam animus, imò amorem credit procati, si latet, patere tui nominis umbella protegi eum, qui duplo duplici nexu tibi sit deuinctus, & cuius prout tenui, non peierato tamen famulatu, possis ad manum vti & abuti, quod plus ob signo quàm eloquor, potes siquidem scripto magis fidere, quàm leuiori voculæ, quæ non modò prolata vanescit, sed ostentationis quoque aut blanditiarum suspicionem habet. Verùm hîc aliam à me laudem ne expectes, nisi quod, & vir clarissimus es, tuoque peracto seculo futurus illustis, & viuido Philostrati dignus cromate, eoque immortalis, & maiorum origine non indecorus, tuâque virtute admodum nobilis, ac maximus es. Testes appello vos, qui eius integritatem supra casum, prudentiam sine fortuna, experientiam cum fœlicitate suspicitis.

† 3 num

num maximus est? occinitis, vos qui confidentem in subsellis, de iure perorantem, paradoxa demonstrantem, controuersa moderantem audiui- uistis, factaque discessione audacis naturæ miraculum extulistis, num maximus est? annuitis: vos qui priuatim, & publicè domi, foris que cum eo versamini, num maximus est? non denegatis: & vos Magnates, Principes, Aulici, qui Matisconum appellitis, qui eius mellifluam Suadam iam dudum experimini, & dignos focco lepores percipitis, num maximus est? maximus sanè. Quid te pluribus igitur moror (Vir maxime) dixi: nec si multas per clepsydras in tua Panegyri remorer, aliud dicam, Vir verè maximus es, & tua singularis in omnes humanitas, qua sensim allicis intuentium oculos, allectósque quasi remora moraris, & vel inuitos abripis, te de viro diuinum, & ex diuino virum facit. Hæc eadem tibi suadeat naturæ affabilis comitas, nouam mihi recentis obsequij materiem offerre, nec ante molestum me tyronem dimittere, quàm desiderij fecerit compotem, annuendo puta, fauentisque animi duntaxat edendo signum: hoc si feceris (Proprætor integerrime) & meos te ad ausus demiseris, crescet in molem tuâ virtute mea gloria, & honore meo, tua virtus. Viue diu, & vale. Datum Matisconi Kalendis Ianuarij, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo.

Π Ρ Ο Σ



ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΝ  
ἡ ἐμπειρότατον ἀρχ' ἱατρὸν ὀνομασροφῆ.

Βρίκι Θ Βαυδερῶν Θ.

Βίε ἀνδρὸς ἔρωσ βίφ. κ, in ω.

Φῶσ ἱερὸν κ' ἀγαθὸν, Λυκίλλιε, πῶσ ποτεν εἶπα  
Πρὶν βαυαλεῖ-φασθαι, χαῖρε μὲν, ὦ ἱερὸν.  
Ὡσ τὸ ματῆν ἱέρεια μαθῶν αἰδῆ περιάπτειν  
Τὰσ πολλὰσ ψυχὰσ δύσκολόσ ἔσσι Δίῶν.  
Σωπυρίε ἀντίδοτον βίβλιον μὴ ἐξ Αἰδῶσ  
Τέτε ἀνασῆτειν ἤλυθε ἡ νέκυασ.  
Τὲσ θεραπειουμῶνεσ μακαρεῖ περιάλλα δίδασξασ,  
Καὶ βίε ἀνδρὸς ἔρωσ (τέτοϋ αἶρε) βίφ.

Γρατίαν Θ Βαυδερῶν Θ.

τῶ Βενίε Βαυδερῶνε ἦόσ.

*Lucilli, quid ais bona lux, lux sacra valeto,  
Vidit, & vnxit, heu, lux mihi sacra fuge.  
Doctus Auernales miseris mortalibus umbras  
Augere infelix, fecerit ista dio.  
Zopyrium antidotum liber hic ne suscitit Orco  
Exanimis, meritò Dis pater ipse timet.  
Quippe beat clinicos opibus doctissimus autor,  
Vita hominum (prodit nomine) viui amor.*